

illis verbis Deuter. 6 et Matth. 4: *Illi soli servies*, græce esse verbum λατρεύω, et ideo addi particulam, *soli*; verbum autem προσκυνεῖν, seu *adorare*, commune esse, et ideo cum dicitur: *Deum tuum adorabis*, non addi *solum*; idem notat Anastasius Episc., in act. 4 VII Synodi, et notaverat August., dict. q. 61 in Genes. De eadem re videri potest Basil., exponens 1 cap. Isai., et alii de hac materia scribentes. Nomine autem *dulice* significatus est honor, vel cultus qui creaturis excellentibus dari potest; nam, quia certum est hos cultus esse diversos in re ipsa (ut jam dicemus), oportuit etiam diversis nominibus significari, ut secure, et sine suspitione erroris loqui possemus; et licet nomen *dulia* uno modo significet propriam servitutem, et subjectionem humanam, ut constat ex D. Thom., 2. 2, q. 103, art. 3 et 4, et in 3, d. 9, q. 2, art. 1, ad 1, et Durand. ibi, q. 3, proprie tamen, ut nunc illo utimur, significat Sanctorum cultum; sicut enim nomen *latræ* Deo, ita nomen *dulice* Sanctis accommodatum est. Significabat enim *dulia* communem servitutem, ut notavit Beda, lib. 4 in Luc., in fine; et ideo accommodata est hæc vox inferiori cultui, seu adorationi quæ Sanctis datur; licet Ayala, in 3 part. de Tradit., considerat. 7, dubitet an huiusmodi officium debuerit *dulia* appellari, quia veneratio, quæ communiter exhibetur Sanctis, non est in signum servitutis. Sed non est quod dubitemus, quia hæc vox non propriam tantum et vilem servitutem, sed etiam honorariam subjectionem significat, quomodo dixit Paul., ad Galat. 5: *Per charitatem servite invicem*, ubi græce habetur verbum δουλεύετε, quod notavit August., lib. 4 de Trinit., cap. 6, qui egregie, serm. 7 Ad frat. in eremo, ait, *quando dulum damus Prælati et Sanctis, Deo vero latræ reservamus, tunc dare nos quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*. Ex his ergo quæ de significatione vocum dicta sunt, constat ratio et sensus prædictæ divisionis; cum enim adoratio alicui exhibeatur propter excellentiam ejus, pro diversitate excellentiæ erit etiam adoratio diversa; quia ergo excellentia alia est increata, alia vero creata, adoratio, quæ exhibetur propter incretam excellentiam, *latræ* dicitur; quæ vero propter creatam, generali nomine dicitur *dulia*, præsertim quando illa excellentia est gloriæ vel sanctitatis creatæ. Quod si illa sanctitas sit singulari ratione excellens, adoratio illi respondens, *hyperdulia* vocatur. Quæ omnia constant ex usu Theolog., in 3,

distinct. 9; et D. Thom. hic, et 2. 2, q. 103, art. 3 et 4. Advertit autem Scotus ibi, quæst. unica, cum Bonavent., art. 2, q. 1, has voces, *latræ* et *dulia*, non solum actibus, sed etiam habitibus tribui, frequentius tamen significare actus, et hoc modo illis nunc utimur, quamvis multa, ex iis quæ dicemus, possint, proportionem servata, de habitibus intelligi. Ex his vero constat adorationis nomen commune esse Deo et creaturis, ut evidenter constat ex Scripturæ usu, Gen. 23 et 42, et infinitis aliis locis; unus vero pro multis sufficit 1 Paralip. 29: *Inclinaverunt, inquit, se, et adoraverunt Deum, et deinde regem*.

5. Quæri vero hic potest, sicut in præcedenti divisione, an hæc duæ adorationes univoce, vel tantum analogice, in ratione adorationis conveniant. Quod dubium non invenio a Theologis tractatum, quia revera parvi momenti est, ac fere de nomine: Petrus tamen Bergomensis, in tabula, seu concordantiis D. Thomæ, verbo *Adoratio*, n. 3, sic inquit: *Ex mente D. Thomæ, adoratio exhibita Deo et creature non dicitur univoce, sed analogice; et profert tria loca. Primus est in 2. 2, q. 84, art. 1, ubi solum dicit excellentiam Dei non communicari creature secundum æqualitatem, sed secundum quamdam participationem, et ideo aliam venerationem Deo, aliam vero excellentibus tribui creaturis. Secundus locus est in secunda secundæ, quæst. 94, articulo primo, ad 2, ubi non comparat latræ cum dulia, sed cum idololatria, quas dicit univoce convenire in ratione cultus, qui per actum humanum exhibetur, quamvis in ratione virtutis et religionis idololatria æquivoce dicatur religio, seu latræ*.

6. Tertius locus est in 3, dist. 9, q. 1, art. 2, quæstiunc. 7, ubi similiter non comparat latræ, nisi cum idololatria. Potest vero hæc sententia suaderi, quia excellentia vel dominium Dei et creaturarum non univoce, sed analogice tantum conveniunt in ratione excellentiæ, vel domini; ergo et cultus exhibiti propter has excellentias solum analogice possunt in ratione adorationis convenire. Et hanc sententiam tenet Bonav., in 3, dist. 9, art. 2, ad 4, ubi inquit, sicut *Dominus* dicitur analogice de Deo et creatura, ita et *duliam* in communi sumptam, prout abstrahit ab adoratione Deo et creature debita, analogice dici. Et favent Sancti, qui interdum, loquentes de adoratione simpliciter, negant illam esse exhibendam creature, utentes illa voce quasi analogica, ut convenit principali analo-

gato, seu divino cultui. Potest etiam confirmari ex Arist., lib. 2 Magnor. moral., c. 11, dicente, amicitiam propter jucundum vel utile solum analogice esse amicitiam, si cum ea, quæ est propter honestum, conferatur.

7. *Latræ et dulia univoce conveniunt in ratione adorationis*. — Nihilominus contrarius loquendi modus mihi videtur probabilior, qui satis colligitur ex D. Thom., citata q. 94, ex 2. 2, art. 1, ad 2, ubi dicit, latræ et idololatriam in ratione actus humani ad cultum pertinentis univoce convenire, sicut solutio tributi (inquit) univoce dicitur, sive tribuatur vero regi, sive falso. Sic ergo adoratio, de qua loquimur, sumpta sub ratione communi actus humani ordinati ad honestum et rationabilem cultum alterius, univoce dicitur, sive talis cultus ad Deum, sive ad creaturam referatur. Et confirmatur manifestis exemplis, nam fides univoce dicitur de divina et humana, quamvis altera divina et increata, altera humana et creata auctoritate nitatur. Amor etiam Dei et amor proximi univoce in ratione amoris conveniunt, quamvis amor Dei sit propter bonitatem incretam, et amor proximi propter creatam. De hoc enim amore sermonem habeo. Præterea oratio, quæ ad Deum, et ad Sanctos fit, sine dubio conveniunt univoce in ratione communi orationis, cum tamen oratio ad quemdam etiam cultum pertineat. Deinde explicatur ratio, quia actus voluntatis, a quibus adoratio proficiscitur, et habet esse humanum seu morale adorationis, univoce conveniunt in ratione actus humani et liberi, et in ratione virtutis, seu actus honesti, et solum differunt in specificis differentiis quæ per se constituunt illos in hac vel illa specie virtutis; ergo solum conveniunt univoce in genere, et differunt specie, et nulla ratio analogiæ inter eos intercedit; ergo idem est dicendum de adoratione secundum genericam rationem suam, et de universis illius speciebus. Sicut etiam habitus ipsi univoce conveniunt in ratione virtutis, et differunt specificis differentiis, quæ in suo ordine absolutæ sunt et perfectæ, quamvis una sit alia perfectior. Tandem (ut rationem in contrarium dissolvamus) objecta actuum vel habituum non per se et intrinsece illos constituunt, sed habitudo ad objectum est huiusmodi actibus vel habitibus extrinseca. Unde fit ut, licet unum objectum incretum sit, aliud vero creatum, et ideo in suo esse univoce non conveniant, nihilominus habitudines ad illa, quæ creatæ sunt, et actus ac ha-

bitus qui illas includunt, possint univoce rationem aliquam participare, præsertim quia interdum habitus, vel potentia, quæ in se omnino una est, potest objectum respicere, quod secundum analogiam tantum unum est, ut in intellectu et voluntate videre licet. Solum in usu nominum est observandum, aliud esse loqui de nominibus significantibus rationes communes et abstractas, in quibus procedunt omnia quæ diximus; tale enim nomen est *adoratio*, talisque est ratio quam per se primo significat. Aliud vero est loqui de nominibus significantibus rationes específicas, in quibus contingit ut nomen unius speciei per attributionem et analogiam tribuatur alteri, ut cum homo dicitur leo; sic enim fortasse dici potest, sub ratione cultus religiosi adorationem *dulicæ* esse analogice cultum, si cum latræ conferatur, quia religio proprie et per se significat specialem virtutem ad colendum Deum institutam, sicut e contrario interdum indicat D. Thom., religionem dici pietatem vel *duliam*, per quamdam quasi analogiam, qua nomina creaturarum transferuntur ad Deum secundum quamdam excellentiam, ut loquitur D. Thom. 2. 2, q. 101, a. 3, ad 2, et 102, a. 3, ad 1.

8. *Adorationis divisio in absolutam et respectivam*. — Tertio, principaliter dividi potest adoratio in absolutam et respectivam; sicut enim potest voluntas rem aliquam amare, vel per se, quia in se bona est, quæ potest dici absoluta dilectio; vel propter aliud ad quod est utilis, quæ potest dici dilectio respectiva, seu electio; ita potest velle rem aliquam adorare, vel propter se, seu propter intrinsecam excellentiam quam habet, et hæc dicitur adoratio absoluta, vel propter aliud, seu propter excellentiam quæ est in aliqua persona ad quam talis res aliquam habitudinem habet, vel conjunctionem, et hæc dicitur adoratio respectiva. Priori modo tantum est adorabilis res intellectualis, quia sola illa est capax honoris et excellentiæ propter se honorabilis, seu adorabilis, ut virtutis, sanctitatis, domini, etc. Præsertim quia, cum homo sit nature intellectualis, non potest prudenter, honeste, ac juxta dignitatem suam se alteri rei submittere propter ejus dignitatem, nisi sit ejusdem vel excellentioris nature, et excellentiam aliquam vel dignitatem habeat, nature intellectuali convenientem. Posteriori autem modo adorabiles sunt res inferioris ordinis, quia cum non propter se, sed propter alicujus rei dignitatem et excellentiam

colantur, honor illis exhibitus non in illis sistit, sed in ipsas personas, propter quas adorantur, redundat. Quæ omnia fusius in sequentibus disputationibus explicanda sunt. Neque oportet iterum hic morose discutere, an hæc divisio univoca sit vel analogica, nam de re fere dialectica satis dictum est, et quæ in præcedenti divisione sunt dicta, facile possunt hic accommodari. Isti enim actus morales in communibus rationibus univoce conveniunt, quamvis sub nominibus significantibus speciales aliquas perfectiones, possint interdum per translationem seu analogiam denominari. Quæ omnia notanda sunt, multum enim conferent ad ea intelligenda, quæ in disputationibus sequentibus tractabimus.

SECTIO IV.

Quomodo Christus ut Deus adorandus sit.

1. Quæstio hæc de tota Trinitate, et de singulis personis, quatenus sunt unus Deus, versari potest; cum enim de fide certum sit, Christum esse verum Deum, unumque ac eundem cum Patre ac Spiritu Sancto, consequens fit eandem, quæ Deo et cæteris personis, adorationem illi esse debitam; agamus igitur simpliciter de Deo; inde enim quid de Christo ut Deo dicendum sit, facile constabit.

2. *Adoratio Deo debita singularis, et nulli creaturæ communicabilis.* — Principio igitur, Deum esse adoratione dignum, per se notum est, neque probatione indiget, cum nomine Dei rem summe excellentem significemus. Unde etiam fit, sicut excellentia Dei singularis est, et omnes creaturas superans, ita cultum, et venerationem illi debitam singularem esse, omnique creaturæ incommunicabilem per se et absolute; quod totum de fide est, ut constat Matth. 4, Deuter. 9 et 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, ubi græce est verbum *λατρεύσεις*, quo singularis Dei cultus significatur, ut dictum est, et notarunt August., lib. 3 cont. Maxim., c. 23; et Anastas. Episc., VII Synod., act. 4, post medium. Et de hac Dei adoratione loquitur Paulus, 1 ad Timot. 1, cum dicit: *Soli Deo honor et gloria*, et ad Rom. 1: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Et in eadem rem multa congeruntur ex Patribus, in VII Synod., act. 7, et quæ supra adduximus de nomine latriæ hoc confirmant. Ratione præterea confirmari potest, quia divina majestas et potestas, prout in ipso est, nulli creaturæ

communicari potest. Propter quod vera de Deo existimatio alteri communicabilis non est. Sed adoratio divina ex tali existimatione procedit, et in propria Dei excellentia nititur, et ideo singularis est, et illius propria. Sicut etiam singularis fides et amor illi debentur, quia proprie et excellenti quodam modo verax et bonus existit.

3. *Dubium.* — Duo vero occurrunt circa veritatem hanc explicanda. Primum est, an hæc adoratio latriæ, prout in Deum ipsum singulariter convenit, sit unius rationis vel plurium. Et ratio dubitandi esse potest, quia Damasc., orat. 3 de Imaginib., fol. 5, quinque distinguit titulos, propter quos Deus latria coli potest. Primus est supremum dominium Dei. Secundus, suprema gloria et sanctitas. Tertius, maxima beneficentia erga homines. Quartus, quoniam ab illo speramus omne bonum. Quintus denique quia illum offendimus. Quinimo possemus hoc modo plures alias ac pene infinitas rationes colendi Deum ratione distinguere, nimirum, quia est sapiens, quia justus, quia misericors, etc. Nam propter hæc singula attributa dignus est summo honore. Nec refert quod attributa hæc non re ipsa, sed sola nostra ratione distinguantur, hoc enim ad distinguendas virtutes sufficit, sicut charitas et fides virtutes distinctæ sunt, quia altera divina bonitate, altera veritate nititur, quanquam in Deo bonitas et veritas sola ratione discernantur. Et eodem fere modo charitas et spes inter se distinguuntur, quia altera in Deum, prout est bonus in se, tendit; altera, prout est bonum nostrum; sic igitur adorationes distingui poterunt. Et confirmatur ex Augustino, q. 94 in Exod., dicente, *Deo ut Deo latriam, ut Domino vero dulia deberi*; quod hic retulit D. Thomas, ex glossa in Psal. 7; at vero dulia et latria diversæ adorationes sunt. Confirmatur denique ex S. Thom., in 1. 2, q. 102, art. 3, ad 3, ubi tria sacrificiorum genera, quæ Deo offeruntur, distinguit. Unum est holocaustum, quod offertur Deo, ut in se est supremæ majestatis et excellentiæ; aliud est hostia pacifica, quæ respicit Deum ut supremum benefactorem; tertium denique est hostia pro peccato, quæ offertur Deo ut Salvatori. Unde Scot., in 3, d. 9, obiter indicat quæstionem, an hæc tres rationes, Dei ut sic, Creatoris et Salvatoris, species adorationum distinguant, an posteriores duæ ad latriam pertineant; quia videntur quodammodo esse rationes creaturæ et extrinsecæ Deo. Propria vero latria in ex-

cellentia increata, et intrinseca Deo fundari debet. Et nihil definit.

3. *Responsio.* — *Una et eadem virtus religionis, etiam propter diversos titulos, Deum adorat et colit.* — Nihilominus dicendum est, unam et eandem esse virtutem, quæ propter has omnes rationes Deum colit et adorat, quæ communis est Theologorum sententia, in 3, d. 9, præcipue D. Thom., q. 1, art. 3; Alens., 3 part., q. 30, memb. 1, art. 3, § 2 et 3; Gabr., lect. 49 in Cano. Quod ita ostendit D. Thom. 2. 2, q. 81, art. 3, ad 1, et q. 84, art. 1, ad 2: latria datur Deo, ut est primum principium, et pater omnium, Malach. 1: *Si ego pater, ubi est honor meus?* Sed in ratione primi principii omnia divina attributa continentur, ex quibus unica et simplicissima excellentia divina per quamdam ineffabilem identitatem veluti resultat; ergo virtus religionis una est, quæ hanc Dei excellentiam respicit, ut formale objectum et fundamentum cultus quem Deo exhibet. Cui rationi addi potest, idem omnino esse, si Deus in ratione Salvatoris, vel prout in se est supremæ majestatis, consideretur; quia sub quacunque harum rationum omnia divina attributa formaliter includit. Quod si divinam essentiam a suis attributis ratione distinguamus, id nihil obstat, quia eadem virtus, quæ naturam divinam propter suam eminentiam veneratur, consequenter etiam in illa colit perfectionem omnem quæ ex natura rei cum illa conjuncta est, aut nostro intelligendi modo ab illa manat. Sicut virtus, quæ honorat hominem, quia homo est, eundem etiam, quia intellectum et voluntatem habet, honorabit.

4. *Dubium.* — *Responsio.* — Sed quid est dicendum de actibus? Multi enim dubitant, propter rationes in principio factas, et quia nihil obstat quominus idem habitus plures ac differentes actus eliciat, sicut eadem potentia diversorum actuum et habituum est capax. Qui modus dicendi fortasse non est improbabilis. Contrariam tamen sententiam, sicut communiorem, ita et probabilior existimo. Itaque omnes illi actus, in ratione divini cultus et latriæ, ejusdem speciei esse videntur. Et ratio reddi potest primo, quia nulla divina perfectio est sufficiens latriæ fundamentum, nisi prout simpliciter infinita est et increata; ergo, licet nostris conceptibus hæc attributa distinguamus, tamen nullum eorum est ratio exhibendi Deo cultum latriæ, nisi prout includit reliqua, et in se, et in apprehensione nostra saltem implicita et confusa, nimirum

quatenus in quolibet eorum increatam et infinitam excellentiam, ipsique Deo propriam et singularem spectamus. Exemplum hujus rei esse potest charitas, quæ, si Deum diligit super omnia actu supernaturali et infuso, actus ejusdem rationis erit, sive tendat in Deum explicite consideratum ut infinite bonum, sive infinite sapientem, aut potentem, etc. Quia revera amor semper fundatur in infinita Dei bonitate et perfectione, quæ omnia hæc includit, et est propria et adæquata ratio talis amoris; quamvis modus concipiendi ex parte nostra diversus sit, qui in ipsis conceptibus efficit diversitatem, quia speciebus intelligibilibus, et mediis quibus intellectus ad concipiendum utitur, commensuratur; at vero actus voluntatis non inde distinguuntur, quando ratio, quæ in objecto concipitur, et voluntatem movet, ejusdem rationis existit.

5. Ex quo infero dubium non esse quin honor datus Deo titulo Creatoris vel Salvatoris vera latria sit, et ad religionem pertineat; quidquid enim sit de differentia specifica actuum, quæ in quæstionem verti potest, tamen de veritate latriæ nulla dubitatio vel incertitudo admitti debet; quia totus hic honor est singularis, ac proprius Dei, sicut et excellentia ipsa; est ergo latria. Deinde si attente res consideretur, non fundatur in ratione creata, sed in excellentia increata. Quod ita declaro, quia in titulo Creatoris duo expectari possunt: alterum est creatum bonum, quod in creatura ponitur; alterum est potestas quam Deus retinet in creaturam suam, quæ revera est dominium supremum et excellens Dei; honor igitur non datur Deo propter bonum quod in creatura posuit, ita ut hoc sit proximum motivum adorandi; sed propter dominium et potestatem, quam in se habet. Quæ potestas increata est, ad singularem Dei excellentiam spectans; pertinet ergo dictus honor ad veram et perfectam latriam. Et eadem ratio est, si Deus sub ratione Salvatoris aut benefactoris consideretur¹.

6. *Dubium.* — *Responsio.* — Quod si fortasse aliquis specialiter inquirat quid sit dicendum de actu gratitudinis, seu de singulari debito, et obligatione quæ ad gratias Deo agendas pro beneficiis susceptis ex eisdem resultat, et in eisdem quamvis creata sint versatur, ea referendo in benefactorem Deum, et pro illis gratias ei agendo, unde proxime ea

¹ Anton. de Cordub., libr. 1 Theologic. quæstionum, q. 5, dub. 2.

respicit ut materiam circa quam versatur, respondetur hunc actum diversum sine dubio esse posse ab eo de quo agimus; sicut enim orare actus esse potest ab adoratione diversus, ita et gratias agere, quamvis in eandem virtutem religionis omnes referantur, ut latius tractat D. Thomas 2. 2, q. 83, a. 17, et q. 106, a. 1, ad 1; posset vero ipsamet gratiarum actio sumi in notam adorationis, sicut de oratione diximus, sect. 1. Et idem dicendum est de satisfactione, quæ pro peccatis in Deum commissis illi offertur; est enim ex se actus hic, ab illo cultu de quo nunc agimus, valde diversus, ut latius in materia de pœnitentia tractandum est.

7. *Responsio ad argumenta.*—Ad rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, distinctionem rationis inter attributa divina non semper sufficere ad virtutes vel earum actus distinguendos, nisi vel diversus modus operandi nostrarum potentiarum ad distinctionem efficiendam concurrat, ut in amore et cognitione videre licet; vel certe in diversa habitudine, seu ratione quæ in talibus attributis consideratur, honestas veluti genere diversa reperiatur, ut contingit in charitate et spe, quarum prior ad amorem amicitiae, posterior vero ad amorem concupiscentiae pertinet; in præsentem vero nulla ratio hujus distinctionis reperitur.

8. Ad primam confirmationem respondeo, duliam, prout Deo ut supremo domino accommodatur, revera latrariam esse; vocari vero ab Augustino duliam, tum ut indicet omnem rationem veræ adorationis in cultu Deo debito eminenter contineri, ut insinuavit D. Thom. 2. 2, q. 103, art. 3, ad 1; tum etiam quia, sicut nomen domini aliquo modo commune est Deo et creaturæ, ita et nomen duliæ, cuius ratio in dominio fundatur, commune est utrique, quamvis nomen latrariæ soli divinæ adorationi tributum sit, ut diximus. Ita D. Thom., in 3, d. 9, q. 2, art. 1, ad 1. Sed urgebis, ex hac responsione sequi, latrariam et duliam, prout Deo attribuuntur, non esse adorationes specie diversas, sed eandem conceptibus vel nominibus generis et speciei conceptam vel nominatam; consequens est contra D. Thom., art. 2, ubi hoc exemplo probat distinctionem latrariæ et duliæ respectu Christi secundum diversas rationes. Respondetur D. Thomam non uti illo exemplo, ut efficaci probatione, sed solum ut per quamdam proportionem rem declaret, ut Cajetanus insinuavit. Nam, sicut in Deo propter ra-

tiones adorandi nostra solum conceptione et ratione distinctas, duo etiam conceptus et denominationes adorationis distinguuntur, ita in Christo, propter duas rationes adorandi re distinctas, poterunt duæ adorationes specie distingui.

9. Ad secundam confirmationem patet responsio ex dictis; nam si illa tria genera sacrificiorum ad divinum cultum proxime referantur, poterunt quidem in materia vel actu exteriori differre, non tamen in interiori actu, seu ratione formali cultus; si vero unum referatur ad Dei adorationem et testimonium divinæ excellentiæ, aliud in gratiarum actionem offeratur, aliud denique in satisfactionem pro peccato, poterunt in interiori actu habere diversitatem, etiam si exterior fortasse interdum idem sit.

10. Secundo loco, explicandum est quænam sit hæc adoratio soli Deo debita, et creaturæ incommunicabilis, tam interna quam externa. In qua re notanda est differentia inter actus internos et externos. Interni enim, quoniam Deum ipsum, ut proprium suum objectum, attingunt vel representant, idcirco ex se et natura sua tales esse possunt, ut ad solius Dei cultum referri valeant; hujusmodi sunt actus fidei divinæ, actus spei, charitatis, pœnitentiæ, et alii similes. Actus vero exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam creaturam exerceri possint, quod notavit August., d. lib. 10 de Civit., cap. 4; Greg. Nysen., citatus a D. Thoma, in Catena, circa illa verba Luc. 22: *Positis genibus orabat*, ubi sic inquit: *Quia humana natura nihil habet Deo condignum, ideo honorifica signa quæ invicem exhibemus, transsumpsimus ad obsequium incomparabilis naturæ.* Quo fit ut distinctio latrariæ soli Deo debitæ ab adoratione creaturæ in his externis actibus potissimum ex interiori intentione pendeat, ut Leontius tradidit in VII Synod., act. 4, circa finem¹.

11. *Quinam cultus soli Deo sit debitus.*—Secundo spectari etiam debet usus; interdum enim actus de se indifferens usurpatus est, et ad solum divinum cultum, vel semper vel plurimum accommodatus; ut nonnulli censent de pectoris percussione, quia est signum petendi veniam peccatorum, quæ a solo Deo expectanda est. Et idem aliqui existimant de hoc verbo, *Miserere nostri*, quia in Litanis

¹ Leontius Corduba sup. dub. 6; et Wal. 3 tom. de Sacramentalibus, c. 117, n. 4.

solum ad divinas personas hoc modo Ecclesia loquitur. Sed hæc non sunt certa, nec semper vera, quia et verba illa possunt in alio sensu proferri, ut per se manifestum est, et infra etiam dicitur; et ab homine potest etiam venia postulari de injuria in illum commissa, et hæc animi submissio posset eodem exteriori signo indicari. Potissimum ergo in his signis externis attendenda est præter intentionem internam publica impositio; nam si hæc signa sufficienti auctoritate et potestate ad significandum Deum et cultum ejus sunt imposita, solum ad divinum cultum usurpari possunt; et si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria, saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa æstimatione fiat. Hæc autem impositio in vocibus notior est; nomen enim Dei proprie sumptum, aut nomen Creatoris, et similia, solum verum Deum et perfectiones ejus significant; et ideo, si ad creaturam et laudem ejus deputentur, idololatria est. At vero in aliis actionibus, sacrificium in proprium Dei cultum maxime institutum est, teste Augustino, 8 de Civit., cap. 27, et lib. 10, cap. 19, et lib. 20 contra Faust., cap. 21; et Theodor., lib. 8 ad Græcos; D. Thom. 2. 2, q. 84 et 85. Propter quod Exod. 22 dicitur: *Immolans, vel sacrificans nisi Domino soli, eradicabitur*; et propterea monuit Angelus Manue, Judic. 13: *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino.* Et hunc fuisse gentium omnium sensum et consuetudinem, non obscure indicarunt Laodiceni, Act. 14, qui cum errarent, Paulum et Barnabam deos esse existimantes, eis statim sacrificium offerre tentarunt. Est enim sacrificium actio quædam qua res aliqua in Dei honorem mactatur vel consecratur in recognitionem et testimonium supremi domini, et majestatis divinæ. Hanc vero significationem (ut bene August. notavit) ab impositione habet, non a natura; occisio enim vituli de se non significat Deum esse auctorem vitæ et mortis, unde remota impositione non continet divinum cultum: tamen postquam imposita est, jam habet rationem sacrificii, et divino cultui contrarium esset illam alteri offerre. Et ad hunc modum in lege Evangelica, cultus sacramentorum adorationem latrariæ continet, et maxime nostrum ineruentum sacrificium, in quo Deus ipse est, qui offertur: et ideo natura, et dignitas talis rei oblatae postulat, ut soli Deo offeratur, quamvis hæc ipsa oblatio, et sacrificium ex institutione ortum habeat.

12. Ex quo tandem colligit Augustinus sa-

cerdotes, templa, delubra, altaria, aras, per se primo soli Deo dicari posse; hæc enim omnia, cum ad sacrificium referantur, latrariæ cultum continent. Quomodo autem interdum templa alia hujusmodi ad honorem Sanctorum ordinentur, in sequentibus explicabimus. Dices: esto sacrificium soli Deo offerendum sit, tamen sacrificium non est adoratio, sed actus religionis distinctus, ut sumitur ex D. Thom. 2. 2, q. 84 et 85; ergo inde non habemus aliquam adorationem externam soli Deo dicatam. Respondetur, licet non omnis adoratio sit sacrificium, tamen sacrificium essentialiter esse adorationem, quia offertur in signum subjectionis, et honoris debiti supremo domino, ut D. Thomas, d. q. 84, art. 1, tradit, et art. 3, ait sacrificium inde habere laudem, quod in divinam reverentiam fit; idem autem est divina reverentia quod adoratio. Unde in Scriptura verbum adorandi pro verbo sacrificandi ponitur, Gen. 22: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Ubi Abraham loquitur, quando ibat ad sacrificandum filium. Et ita etiam multi intelligunt illud Joan. 4: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, etc. Nil ergo obstat, quod D. Thomas in 2. 2, prius de adoratione, in q. 84, postea de sacrificio, in 85, disseruerit; nam communior est adoratio, quæ quoad signa externa peculiari modo per sacrificium exercetur, et ideo oportuit propria quæstione illud explicare. Non inficior solere interdum nomen adorationis applicari ad alias actiones adorandi, quæ neque sunt sacrificia, neque habent alia peculiariora nomina, sicut nomen commune solet interdum accommodari uni rei singulari vel specificæ, quomodo videtur voce usus D. Thom. 2. 2, q. 81, art. 1, ad 1. Sed tamen id solum spectat ad usum vocis; tamen res ipsa et ratio adorationis propriissimæ in sacrificium convenit, solumque in signo externo, seu materialiter, ab aliis actibus propriæ ac divinæ adorationis differt in esse virtutis et cultus, quod est etiam notandum ad intelligendam vim plurium vocum aliarum in hac materia occurrentium.

DISPUTATIO LII,

In tres sectiones distributa.

DE ADORATIONE SANCTIS HOMINIBUS VEL ANGELIS
EXHIBENDA.

Duo breviter in hac disputatione tractanda sunt. Primum, utrum adoratio Sanctorum li-